



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De adiuratione salis 56

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

lum intelligibile verbum hac de re dicunt, populūque nihil omnino docent, sed tantummodo nō intellectum Exufflationis signum, in presentia paucorum hominum, qui id neque intelligunt, neque magnificiunt, vsurpant & exercent, qui abusus apud Aduersarios validissimè regnat.

Quare autem signum Exufflationis in Libro prætermisum sit, id postea ostendetur, cum ad Obiectionem de Exorcismo respondebitur, nec non in doctrina de Libertate, veròque & ædificante horum signorum vsu, quæ apud S. Baptisum adhiberi solent.

---

Tertia pars.

*De Exorcismo salis.*

CAP. LVI.

**T**ERTIÒ accusant librum, propterea quod Salis adiurationem & benedictionem, eiusque immisionem in os baptizandi, prætermisit.

Porro Exorcismum Salis conantur Aduersarij tribus argumentis confi. mare. Quorum primum ducitur à miraculis quibusdam editis per virtutem aquæ benedictæ, Vt quod Marcellus Apameæ Episcopus, ignem quem templo cuiusdam idoli subiecerat, quemque Diabolus subinde antea extinxerat, per aquam benedictam fecerit ardere, vt Hist. Trip. commoret.

Alterum est, quod Narcissus Hierosolymorum Episcopus oratione & benedictione effecerit, vt aqua in lampadibus instar olei arderet. Hist. Eccle. lib. 6. cap. 7. Tertium, Quod Iudæus quidam ad Christianismum conuersus caminum calcis, quem alij Iudæi nondum conuersi ita incantauerant, vt ardere nollet, per virtutem aquæ ardere fecerit. Epiph. lib. 1. Tom. 2.

*Responsio.*

**E**X istis historiis quàm certè sunt, tam certò confirmant Aduersarij Salis Adiurationem. At nunquid egregia, si diis placet, argumentatio est. Quidam sancti per aquam benedictam miracula ediderunt, Ergo, Cum ministratur Baptismus, adiurari debet Sal, imponendus in os baptizandi? Quare id non potius ex illo probant, quod Dominus sputo balbutientis linguam soluit, atque eodem ceci nati oculos aperuit? Vel ex eo quod Apostoli infirmos sanabant per Vnctionem olei? Vel denique, quod Helisæus aquam iniecto sale salubrem reddidit?

Alterum argumentum sumptum est, à signo Crucis, quod vim habeat omnem artem magicam, omnèque veneficium & diabolos ipsos pellendi, quòdque eo veteres omnibus rebus benedixerint. Eodem loco nonnulla etiam Patrum dicta perperam citant, signòque crucis hoc opus attribuunt, quod veteres S. Patres soli crucifixo adscribunt, &

M

ab iis tantummodo cognosci potest, qui vera fide in Crucifixum credunt.

At rursus vide quàm eleganter ratiocinentur. Quidam signo crucis miracula operati sunt, & omnibus rebus benedixerunt. Ergo adiurandus est Sal, qui Baptizandis in os immittitur.

Et quidem si verum esset, id quod aduersarij scribunt, demones vbiunque viderint signum crucis, fugere, eoque in loco permanere non posse: admodum sancti essent sacerdotes, penitusque à diabolo liberi, qui multas Missas celebrant: in eis enim infinita crucis signa quotidie faciunt.

Christiani tam veteres quàm recentiores hoc signum crucis libenter sanè in omnibus actionibus, & usu omnium creaturarum adhibuerunt. Verum hoc ideo tantùm fecerunt, vt & semetiplos admonerent, & alijs confiterentur, quod omne auxilium, omnisque benedictio Dei in quibuscunque rebus ex sola gratia Dei nobis contingat, quam Christus Iesus filius Dei morte sua in cruce nobis impetrauit, ac promeritus est. Et hac sola ratione huius signi vsus Christianus est, & pius. At putare, quod signum ipsum per se virtutem quandam habeat, & sine religioso ac verè fidei respectu in Christum crucifixum, sicut aduersarij eo multipliciter abutuntur, id superstitiosum est & magicum.

Tertium argumentum est, & scripturam testari, quod propter peccatum omnes res quæ humano vsui subseruiunt, maledictæ sint, & obnoxia potestati diaboli: rursus autem per orationem & verbum Dei sanctificentur, vt Paulus scribit. Quod verum est: Quomodo autem inde consequitur, Salem exorcizandum esse?

Verbum Dei debet ad fidelem hominem, non ad salem aliam creaturam sensu destitutam pronuntiari. Sic etiam Oratio ad Deum, idque vt à fidelibus percipiatur, non ad salem dici dirigi que debet. Iam verò in Exorcismo suo salem alloquuntur, qui tamen non audit, dicentes: a diuro te creatura salis, in nomine Patris, &c. Dicunt etiam Deum præcepisse, vt per seruos suos sanctificetur pro populo, qui ad fidem peruenit, vt in nomine sanctæ Trinitatis fiat salutare sacramentum, ad effugandum inimicum. Verum vbi præcepit Dominus hoc seruis suis?

Orant præterea in hoc suo exorcismo, vt Deus salem benedicere & sanctificare dignetur, vt efficiatur sal exorcizatum in salutem credentium, & sit omnibus eum sumentibus animæ sanitas & corporis. At quis Apostolorum, aut quis Martyrum docuit, hac ratione salem alloqui, & adiuurare? Aut quis eorum vnquam vel verbo meminit eiusmodi mandati diuini de Exorcismo salis?

Ecce cuiusmodi probationes aduersarij pro suo exorcismo fati adducunt? Debent sanè Christiani omnia quæ vsurpant, in nomine Domini vsurpare: verbumque Dei in omnium donorum ipsius vsu diligenter respicere, ac confiteri, quod testatur, Dominum à principio nobis omnia in bonum condidisse, ac deinceps per sanguinem dilecti

dilecti Filij sui rursus sanctificasse, posteaquam propter peccata nostra maledictioni subiecta fuerant. Adhuc Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum semper ex animo inuocare debent, vt ipsis largiri velit, quo gratuitam eius benedictionem, quam dilectus Filius eius per mortem suam nobis acquisiuit, in omnibus rebus sentire ac percipere queant.

Et hoc debent Christiani in vsu omnium rerum, non salis tantum prestare. In eo vero nullus est exorcismus, quod aduersarij probare frustra in se receperunt.

Porro quod aduersarij eodem in loco scribunt, Ecclesiam ab initio credidisse, quod Creatura per benedictionem purificentur, & virtutem adipiscantur inferuendi nobis ad salutem per fidem, id pleniori explicatione opus habet. Deus operatur omnia in omnibus, suisque creaturis vtitur prout vult, vel ad puniendos vel iuuandos homines: ipsiusque est omnis virtus, per quam creatura nobis salutifera sunt.

Quod autem per verba Benedictionis noua quaedam vis creaturis indatur, que in ipsis maneat ac perduret, de eo quemadmodum nullum habetur ex verbo Dei testimonium, cui soli Christiani fidem habent, ita nec veteres Ecclesie quicquam crediderunt.

Iam vero quantum pertinet ad vsu salis adiurati, nempe quod in os baptizandi immittitur, manifestum est, eam consuetudinem non esse vetustam. Eius enim nec Tertullianus, nec Dionysius meminerunt. Significatio bona est, videlicet quod Christus Dominus in sacramento Baptismi det suis Spiritum ac sapientiam Crucis, & mortificationem veteris Adami, per quam homo a putredine malarum cupiditatum preseruetur, perinde vt alias carnes a putrefactione ministerio ac virtute salis conseruari solent.

Verum quinam plus utilitatis & edificationis significatione ista adferunt, num qui solum ac nudum signum missionis salis in os baptizandi apud Baptismum, sine vlla ipsius explicatione coram paucis quibusdam hominibus vsurpant, an vero ij qui signum quidem pretermittunt, significationem autem apud Baptismum coram tota Ecclesia Christi, semper ex S. scriptura claris ac perspicuis rationibus, summaque cum religione declarant & inculcant?

#### Quarta pars.

#### De Adiuratione diaboli.

#### CAP. LVII.



QUARTA accusatio est de Exorcismo diaboli, qui ex infantibus eiurari debeat, quodque in libro Reformationis Exorcismus Catechismo postpositus sit.